

Postmodum in balneo positus, vel in aëroso hypocausto moderatè calido & sicco ac purificatus ab extraneo vapore, soliditatem suarum partium acquirit, extenuatusq; superfluâ humiditate fit idoneus ad contritionem. Quo factò, ex purioribus illis partibus exprimitur lac virgineum. Quod mox inde positum in ovum Philosophicum, proprio & continuato calore foveatur, ut pro pullorum exclusione. Varietate colorum suorum nudatus gaudet cum suo compare, colore tinctus instar nivis. Inde post absq; periculo resistit ignis violentiæ, tantisper, donec pavonis coloribus ornatus, de monumento egrediatur cum regali summaque potentia.

IDEM TESTAMENTUM è Paraphrasi nostrâ

Lapis noster e terræ vomicis scaturiens, si igne elevetur perfectas acquirit vires. Limpidissimâ aquâ ad facietatem potus, duodecim circiter horarum spatio extumescet notabiliter. Tunc balneo Philosophorum illatus, aut hypocausto aëri pervio, moderateq; calenti ac sicco, purificabit sese ab extraneo vapore, soliditatemq; paulatim induet; atq; adeò inutili humore abactò aptus fiet conteri. Ergò jam e purioribus ejus partibus Lac virgineum premendo elice: idq; ovo Philosophico inclusum, calore suo fove jugiter, dum pullos videris exclusos. Ille verò cessante mirâ colorum varietate niveo albore nitens, compari jungi gestit. Factò hoc, citra damnum vim ignis sustinebit: ac tandem depositâ veste versicolore, de tumulo procedet regalis potentia ac splendoris sine termino compos.

SED HIC TERMINUS ESTO.